



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum non sint plures circumstantiæ, quàm istæ octo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Circumstantijs actuum humanorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Circumstantia sit accidens humanorum actuum?

Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia omnis conditio rem attingens, quæ tamè est extra eius naturam, rectè dicitur accidens: atqui circumstantia est conditio operis, ipsum aliquo modo attingens, & tamen extra eius substantiam: ergo &c.

Quid circumstantia theologica.

Notandum Primò, Non omne adiunctum, quod quouis modo attingit, vel afficit actum, vocari hoc loco circumstantiam: sed illud quod ita afficit, vt aliquid conferat ad bonitatem vel malitiã eius moralem. Vnde conditio personæ, vel materiæ, vel temporis, vel loci, vel instrumenti, si nihil conferat ad bonitatem vel malitiam actus, erunt quidem circumstantiæ ipsius naturales; non tamen morales; de quibus hic loquimur.

Notandum Secundò, Circumstantias vocari accidentia actuum humanorũ; non quod physicè ipsis inhæreant (exceptã vnã, scilicet *Quomodo*) sed quòd actus humani ordinem quemdam accidentarium ad illas habeant; ratione cuius moraliter ab eis affici censentur; accipientes aliquod esse morale, tamquã à veris accidentibus. Exempli causã, Si Religiosus furtum committat, conditio personæ censetur accidens istius operis, quã furtum est; quia non est de ratione furri, vt auctor eius sit religiosus: tamen furtum ex ordine ad illam conditionem, accipit aliquod esse morale; scilicet nouam repugnantiam respectu dictaminis rectæ rationis: efficitur enim sacrilegium.

ARTICVLVS II.

Vtrum Circumstantia humanorũ actuum sint cõsideranda Theologo?

Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia bonitas & malitia humanorũ actuum, magnam partem ex circumstantijs pendet. Vnde Concil. Trid. sess. 14. c. 5. ait; *Peccata sine circumstantijs neque integrè explicari, neque cognosci posse.*

ARTICVLVS III.

Vtrum cõuenienter enumerentur Circumstantia 3. Ethic. c. 1?

Conclusio est rectè enumerari. Aduerte tamen, Aristotelè ibi duas omittere, *Vbi*, & *Quando*. Sunt igitur in vniuersum octo circumstantiæ hoc versiculo comprehensæ: *Quis*, *Quid*; *Vbi*, *Quibus auxilijs*, *Cur*, *Quomodo*, *Quando*, &, *Circa quid*. Quæ vltima, secundum D. Thomam, intelligitur sub *Quid*. Has omnes enumerat Nemesius lib. de Homine c. 31. & Damascenus lib. 2. de fide c. 24. non plures, aut pauciores.

Explicatur singule Circumstantia.

Notandum Primò, Circumstantias non significare cõditiones necessariò actibus humanis ad-

iacentes, sicuti dictum est; sed eas quæ per accidens cõiunguntur, vel actui immediatè, vel causis eius, vel effectui: vt circumstantia *Quis*, non designat personam operantem (hæc enim non est circumstantia, sed causa essentialiter necessaria, vt actus fiat) sed designat conditionem personæ per accidens ei coniunctam, quæ tamen aliquid ad bonitatem vel malitiam operis conferat; vt esse personam publicam, Sacerdotem, Religiosum, matrimonio iunctum, &c.

Circumstantia *Quid*, vt distinguitur à circumstantia *Circa quid*, significat duo; Primò, Magnum & paruum in obiecto, v. g. in re per furtũ ablata; quamuis alij hoc referant ad circumstantiam *Circa quid*. Secundò, Designat effectum aliquem, qui per accidens ex opere secutus est: vt si ex homicidio secuta sit paupertas liberorum occisi, praua institutio, & similia.

Circa quid, significat conditionem personæ, vel obiecti contra quod peccatur: vt si sit Sacerdos, si parens, si res sit sacra.

Circumstantia *Quomodo*, significat modũ actionis: vt, si feruenter, an tepidè, si spontè, an coactè, sciens, an ignorans; ex passione, an ex malitia.

Cur, significat finem extrinsecum operis, vt, si det eleemofynam ob vanam gloriam.

Vbi, significat conditionem loci; vt, si in loco sacro, an Prophano.

Quando, significat conditionem temporis; vt, si die Festo, an alio.

DVBIVM I.

Vtrum non sint plures circumstantia quam istæ octo?

Ratio dubitandi est, quia D. Bonauentura in 4. d. 16. explicans textum Magistri num. 9. ponit 14. circumstantias his verbis:

Aggrauat Ordo, Locus, Persona, Scientia, Tempus, Aetas, conditio, numerus, mora, copia, causa, Est modus in culpa, status altus, luctu passiva.

Ioannes Maior in 4. d. 17. q. 4. ponit, quoties inter circumstantias.

Respondeo, Omnes circumstantias contineri octo iam enumeratis: neque Aristoteles, neque Nemesius vel Damascenus plures enumerant. Idque probari potest hac ratione D. Thomæ. Circumstantia enim est aliquid extrinsecũ actui, certo tamen modo illum attingens in ordine ad dictamen rationis. Tripliciter autem potest actum attingere. Primò, Attingendo ipsum actum in seipso. Secundò, Attingendo causam eius. Tertio, Attingendo ipsius effectum.

Si actum in se attingat; id fiet vel per modum mensuræ; vt *tempus*, & *locus*: vel per modum qualitatis actus; vt circumstantia, *Quomodo*.

Si attingat actum ratione effectus, erit circumstantia *Quid*.

Denique si ratione causæ attingat; id erit vel ratione causæ finalis; vt, *Cur*: vel ratione causæ materialis; vt circumstantia *Circa quid*: vel efficientis principalis, vt *Quis*: vel efficientis instrumentalis, vt *quibus auxilijs*. Vnde

Quis

Quid

Circa quid

Quomodo

Cur

Vbi

Quando

4

Tantum octo sunt circumstantia.

Quaest. 8. De Circumstantiis act. human. Art. 3. Dub. 1. 2. A. 4.

Vnde patet esse octo circumstantias, non plures. Nec obstat quod D. Bonaventura numeret 14. nam reducit sex ad circumstantiam *Quis*; scilicet, scientiam, aetatem, ordinem, conditionem, personam, & statum; quia sunt conditiones personae operantis. Superfunt octo, è quibus Numerus, seu Quoties, non est circumstantia actus; sed est actuum multitudo; quorum vnus non est circumstantia alterius; vt rectè notat hic Caietanus. Mora pertinet ad circumstantiam, Quando: sub Quando enim intelligitur *Quomodo*. Modus agendi, ad *Quomodo*. Copia pertinet ad numerum peccantium; & sic non est propriè circumstantia actus: vel potest reduci ad circumstantiam *Quis*; est enim conditio quaedam personae, quod multorum exemplis prouocata fuerit. *Causa*, est idem quod *Cur*. *Lucta pusilla* pertinet ad *Quando*. *Locus & Tempus*, ad *Vbi & Quando*.

DVBIVM II.

Virum ista Circumstantia afficiant omnes actus humanos, etiam internos?

Respondeo & Dico Primò, Non omnes circumstantiae afficiunt singulos actus in particulari; sed ordinariè quaedam tantum. Sapissimè enim Locus, Tempus, Conditio Personae, nihil ad rem faciunt. Potest tamen dari casus vbi omnes circumstantiae adsint: Vt si Religiosus furetur rem sacram, in loco sacro, cum scandalo, tempore Sacrificij, vi illata, instrumento prohibito, vt absumat in illicita: hic omnes circumstantiae adsunt.

Dico Secundò, Circumstantiae istae afficiunt actus humanos accidentario modo consideratos, non solum secundum esse naturale, sed etiam secundum esse morale.

Probatür, Quia manente eadem specie morali possunt esse variae circumstantiae. Magnum enim & paruum sunt circumstantiae furtorum eiusdem speciei moralis. Similiter *durum* & breue, *intensum* & remissum, sunt circumstantiae fornicationis, homicidij, furti, & similium peccatorum, manente eadem specie morali. Quomodo autem esse morale, & naturale in actibus distinguantur, explicandum infra, q. 18.

Dico Tertio, Ista circumstantiae etiam afficiunt actus internos voluntatis tamquam circumstantiae. Odium enim longum & breue, intensum & remissum sunt eiusdem speciei moralis. Similiter voluntas furandi centum, & furandi mille.

Dices, Actus exterior cum suis circumstantijs habet se instar obiecti; respectu actus interioris voluntatis; est enim volutus cum suis circumstantijs actu interiori: ergo saltem circumstantiae actus exterioris non possunt esse circumstantiae actus interioris. Patet consequentia; quia cum sint volitae, tribuent actui interno speciem tamquam partes obiecti.

Respondeo Negando Consequentiam, Quia etiam omnes circumstantiae actus exterioris censentur volitae actu interiore, saltem interpretatiue; non tamen idcirco semper sunt partes ob-

iecti. Ratio est, quia non semper sunt volitae tamquam necessariae ad obiecti honestatem, vel turpitudinem; sed saepe tantum, vt eam augent, vel vt adiungunt nouam speciem manente priore.

Quod vt intelligatur, Notandum est, tunc circumstantias definire esse circumstantias, & transire in obiectum, quando necessariae sunt vt obiectum induat certam speciem honesti, vel turpis. Quando autem ad hoc non sunt necessariae; vt cum obiectum sine illis iam habet certam speciem honesti vel turpis, tunc circumstantiae superadditae habent rationem circumstantiarum, siue nouam speciem addant, siue non. Vtrumque explicatur exemplis. Comedere, secundum se non est moraliter bonum vel malum, sed indifferens: vt autem fiat moraliter bonum, requirit certas circumstantias; scilicet, materiae, temporis, modi, & finis. Itaque istae quatuor circumstantiae non sunt comestionis, vt est actus temperantiae; sed sunt veluti partes necessariae ad illam speciem moralem. Similiter non sunt circumstantiae respectu actus interioris temperantiae; sed sunt partes obiecti tribuentis actui interno speciem: velle enim comedere cum istis circumstantijs, scilicet tali tempore, tali modo, tali fine, & tali quantitate, est actus temperantiae. Quod si quis hunc actum externum referat ad aliquem finem extrinsecum, v. g. vt proximo det bonum exemplum, iam iste finis extrinsecus habet rationem circumstantiae; quia superuenit actui temperantiae, & ad eum non est necessarius. Similiter esse alienum, est quidem aliqua circumstantia rei quae accipitur, & acceptiois; sed non est circumstantia istius acceptiois, vt induit rationem furti: verum transit in rationem obiecti. Quod autem hec res aliena, etiam sit sacra, est quidem circumstantia furti, sed non sacrilegij. Feminam esse iunctam matrimonio, est quidem circumstantia actus, quatenus est actus libidinis, sed non quatenus adulterij.

Quando verò actus est per se bonus vel malus, tum circumstantiae quae accedunt, retinent rationem circumstantiarum. v. g. dare elemosynam, est per se bonum; vnde circumstantiae accedentes, quae aliquid ad bonitatem conferunt, retinent rationem circumstantiarum, & non transeunt in rationem obiecti. Mentiri, est per se malum; vnde si qua circumstantia accedat, retinet rationem circumstantiae. Idem intellige de omni actu bono & malo secundum propriam suam speciem considerato. De quo plura infra.

ARTICVLVS IV.

Virum principales Circumstantiae sint, quid, & propter quid?

Respondetur, Inter circumstantias principalem locum obtinere propter quid. Ratio est, quia finis est obiectum voluntatis; vnde ex fine potissimum iudicatur actus esse bonus vel malus. Quod intellige de actu exteriori.

Secundum locum, Circumstantia quid, seu effectum ex opere secutum. Ratio est, quia post finem maxime iudicamus de actu ex effectu secuto;

E iij

QVAE.

Quando circumstantia transiunt in rationem obiecti, quando non.